



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-14350-p0001-3

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-14350-p0002-9

DFG

De optimis tradendo historiæ Germanæ methodo.
HENRICI MEIBOMII

ad

II n
1290

HISTORIAE GERMANICÆ

Cultores

PROGRAMMA

P. P.



HELMESTADI
Typis GEORGI-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.
Anno M DC XCII.

11/20/2019 10:19 AM



Nobilissimis Historiæ Germanicæ cultoribus

S. P. D.

HENRICVS MEIBOMIVS.

Um superiore anno Romanam Vobis
tradiderim, nunc ea ad finem perducta,
Germanicam, Patriam scilicet. Historiam
auspicabor; non vetustissimam. ἀδηλον,
& incertam, magnaq; parte fabulosam, sed, quæ à Caro-
lo M. ad nostra usq; tempora certioribus mònumen-
tis, quamvis non æquè semper luculentis, consigna-
ta est. Id quod omnibus longè gratissimum futurum
spero, iis præsertim, qui in Germania nostra partem
aliquando Reipubl. facere cupiunt, consiliisq; ei
dandis, & rebus agendis sese votis suis destinant.
Cum enim ad consilia Reipubl., cuilibet salutaria dan-
da caput sit, nosse Rempubl. illius notitiæ studiosus
esse quisque debet, qui publico sese præparat. Eam
vero notitiam præcipue historia comparari, dudum pru-
dentissimè monuit Tacitus. Cumq; omnis Respubl.
in dies mutetur, novumq; habitum ac formam tem-
porum intervallis accipiat, & proinde non præsen-
tis tantum, sed & prætetiæ faciei notitiam habere
par sit, illa quidem observatione solerti & inquisitio-
ne cu^{l. 4. Ann. c. 3.}

ne curiosa etiam acquiri aliquomodo, hæc vero non nisi ex Historia disci potest. Ut igitur Germanicæ Reip. nostræ plenam quoque notitiam accipiamus, non, ut nunc est, intueri tantum, sed temporibus eam metiri, & juxta eorum momenta considerare debemus, & ibi imprimis incipere, ubi sub Carolo M. alia summi in orbe Regiminis facies esse, Romanumque vetus perire coepit.

Quo quidem rectè ita constituto, & ex omnium, ut arbitror, sententia, una adhuc subest difficultas, eaque magna, quomodo Historia Germanica illorum, quos innui, seculorum à me optimè tradi, in Vestrām, Honoratissimi Auditores, utilitatem possit. Hæc enim mihi ultima lex est. Nisi vero cum debitis circumstantiis, additis occasionibus, consiliis, causis, causarumque ingeniis, omnia narrentur, sed nudus eventus juxta annos tantum signentur, nullus aut certe exiguis Historiæ fructus est, nec Illa, Philosophia in exemplis, rectè vivendi magistra, censura morum, adversaria vitiorum, utilitatis indagatrix, breviarium experientiæ, speculum humanarum rerum, consiliorum architecta, directrix in arduis, dux in lubricis, prudenter mater, invidendis sane elogiis, appellari meritur. Cumque omnino etiam par sit, ut ceu in omni alia, ita in Germanica & Patriæ nostræ, decem seculorum, historia, profundum Divinæ Providentiæ arcana, circa magnos eventus, mutationes imperiorum

riorum, eversiones regnum, exortus novorum,
interitus familiarum regnantium, expletis cujuslibet
fatis, intueamur (quam primam esse Historicæ Disci-
plinæ Philosophiam, &, nisi ex ea cæteræ intelligan-
tur, judicenturque, nullam sine nube cognitionem,
nullam sine vanitate utilitatem procedere, rectè ob-
servavit Cl. Bæclerus, & nemo eo melius) quid juvat
nosse, evenisse illa omnia aliquando (ut in tabellis
Chronologicis in usum memoriarum notantur) nisi. quo-
modo contigerint, vel sensim sese disponentibus ad
magnam mutationem rebus, vel mutatis iis quasi ex
abrupto, & ex machina interveniente Deo? nisi, qui-
bus præterea humanis mediis, quibus consiliis, qui-
bus personis, fabulæ in hac mundi scena peractæ sint,
accuratius intelligamus? Quid ex Annalibus juvet,
puerorum more, didicisse, quibus temporibus vastis-
simum illud Romanorum Imperium, quibus annis Ori-
entale, à Barbaris, ipsa Constantinopolis capta, deleta
sint, nisi simul, quibus id initii, progressibus, casibus,
causis, factum sit, simul constet? Quid proderit nosse,
unam Nassaviam Domum potentissimæ Hispaniae Do-
minationi fatalem fuisse (id quod maxime miratur
Illustris Thuanus, magis miratus, si, quæ nostris tem-
poribus iterum per Eandem ad formidabilis Regni
infringendas vires, molitur Deus, vidisset) nisi circum-
stantias omnes, habitus rerum animorumque, & totam
temporis illius faciem simul intuiti fuerimus?

) : (3

At



At in Germanica à Carolo M. inchoanda & expli-
canda Historia, per aliquot secula non nisi ex rudi-
bus Annalibus sapimus, & supputationes quasdam
temporum, & nudas eventuum annotationes legimus,
& si, præter Monachos, eorum imperitos conditores,
in *Eginhardum* aliquem aut *Lambertum*, plenius nar-
rantem, incidimus, optimè nobiscum actum opinam-
mur. In hoc igitur, à seculorum barbarie & tempo-
rum injuriis oriundo defectu, dabit Doctori veniam
Auditor, si appetitum potius incendat, quam satiet,
dummodo Ille summa diligentia undique omnia
ex editis & ineditis, laceris quoque & fomesis mem-
branis, colligat, quæ instruere possint, etiamsi à ple-
niore historia illa tam longè absint, quam Annalistæ,
quos sequitur, à Reipubl. cognitione.

Aliorum tamen, & nobis propiorum seculorum
historiam, pleniorem ex luculentis monumentis dare
licet. Verùm nova in ea explicanda oritur diffi-
cultas. Si enim omnia, cum debitis, & ad Reipubl. no-
titiam, prudentiamque parandam, & usum civilem,
necessariis circumstantiis exponere Doctor velit,
quot non anni unius Seculi historiæ enarrandæ impen-
dendi fuerint? qui non Auditores tædio defagitabun-
tur, & discedent desperabundi? Neque tamen, ut ru-
dem illam, quæ parum usus habet, & incipientibus ex
tabellis explicari solet, proponam, vel Vos deside-
raveritis, velego à mè, ut publicè tradam, impetra-
verò.

vero. Alia igitur mihi via incedendum video, ut &
recte omnia, quantum fieri potest, citra fastidium ex-
ponantur, & fructus ad Vos insignis redundet. Decre-
vi scilicet juxta seriem temporum omnem quidem
illam decem Seculorum historiam aggredi, hærebo
tamen in utilibus tantum, & res maximè memorabi-
les paullo plenius exponam, non ita tamen cum omni-
bus circumstantiis, ut satiem, sed ut ad novas epulas
avidos invitam. Monstrabo nimirum fontes, ex quibus
ipsi, privato studio, petere circumstantias, cau-
fas, consilia possitis, ut non Auditores Vos tantum, sed
simul adjutores & arbitros habeam. Indicabo Hi-
storicos, qui quodque argumentum, aut certotum an-
norum historiam, pluribus persecuti sunt, & de Scri-
ptorum illorum fide, dexteritate, peritia & diligentia
judicium meum liberè exponam. Nec recensere
illos ex novissimis pigrabor, qui veteris aut recentis
historiæ partem, aut quorundam Impp. res gestas ex
variis aliis monumeetis, non sine insigni legentium
fructu, & laboris aliàs exantlandi imminutione, con-
cinnarunt. Ipsorum vero Historicorum optimas
quoque & pleniores editiones ostendam. Et hinc ille
fructus ad Vos, Auditores Optimi, perveniet, ut
Germanicæ quidem Historiæ omissis cognitionem ali-
quam ex meis lectionibus accipiatis, luculentiorem
vero, quocunque dein tempore, prout vel appetitus
& voluptas ad has illas ve res gestas cognoscendas in-
vitabit,



GK 77n 1290

vitabit, vel civilis vitæ actus hoc illudve argumen-
tum plenius à Vobis tractari postulabunt (quis enim
omnia æquè accurate scire desideret? aut qui
possit rerum in historia occurrentium notitia in tanta
varietate æque ad omnes pertinere?) acquirere Vo-
bis ipsi possitis, evolutis optimis, quos indicabo, Scri-
ptoribus: major etiam fortassis aliquando cum fructu,
ubi adultiores facti curas animosque viriles ad co-
rum lectionem applicaveritis. Quod si maximæ gra-
tiæ debentur illi, qui non tantum sicuti purum hau-
stum exhibet, sed & ipsum fontem monstrat, unde
in omnes necessitates paratum semper habeat & suf-
ficiens extinguendæ siti remedium: Quis non lau-
dabit institutum meum, ad quosvis usus, juxta rerum
varietates & temporum momenta, acquirendæ in ci-
viles usus prudentiæ, destinatum?

His vero Commentationibus meis Historicis quibus
interesse libuerit, ut ad manus habeant, vel Sleidani
libellum de quatuor Monarchiis, ultimæ editionis à
Cl. Schurtzfleischio auctæ, vel aliam Epitomen Histo-
ricam, consuluerim, ut & ante meam commentatio-
nem, lectioni, &c, post eam, memoriæ serviant. Re-
liqua enim à me exspectare jubeo: qui, si non alia,
diligentiam certè promittere audeo, à Vobis vero,
Nobilissimi Auditores, parem, familiari Vobis ad
optima & utilia studia ardore, certa fiducia exspe-
cto. P. P. D. Martii: A. cīc loc XCII.

Pon 77 1290, Qu

ULB Halle
004 777 220

3





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-14350-p0012-4

DFG

ne curio
nisi ex H
nostræ p
ut nunc e
tiri, & ju
& ibi im
mi in orb
tus perit
Quo
ut arbitr
eaque m
rum, quo
stram, H
Hæc enir
tis circum
sis, causan
eventus j
te exiguu
in exempl
adversaria
experienti
rum archi
dentiæ ma
retur. Cu
alia, ita in
culorum,
arcانum,



, hæc vero non
Germanicæ Reip.
cipiamus, non,
ribus eam me-
rare debemus,
olo M. alia sum-
manumque ve-

& ex omnium,
est difficultas,
Germanica illo-
nè tradi, in Ve-
litatem possit.
ero cum debi-
, consiliis, cau-
entur, sed nudi
nullus aut cer-
, Philosophia
nsura morum,
ix, breviarium
um, consilio-
n lubricis, pru-
appellari me-
t ceu in omni
æ, decem se-
Providentia
tiones impe-
riorum